DISSERTATIO MEDICA ET CHIRVRGICA
INAVGVRALIS
DE

HERNIA CARNOSA

VVLGO

SARCOCELE

DICTA

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRI AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA AD ELMVM ACADEMIA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

D. LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO, ACADEM. SCIENT. CAESAR. NEC NON REG. LONDINENS. ET BEROLINENS. COLLEGA AC FACVLTATIS MEDICAE SENIORE GRAVISSIMO,
PATRONO AC PRAECEPTORE
AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN SCIENTIA MEDICA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI
DIE XV. IVNII MDCCLIV.
HOR. CONS.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CHRISTIANVS DANIEL HEISE

OBISFELDA-MAGDEBVRG.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO MEDICA ET CHIRVRGICA
INAVGVRALIS
DE
HERNIA CARNOSA
VVLGO
SARCOCELE
DICTA.

PROOEMIVM.

Cum de argumento ſolicitus eſſem, de quo diſſertationem meam inauguralem conſcriberem, atque chirurgia mihi ob perſpicuitatem et certitudinem ſuam prae omnibus Medicinae partibus maxime placuerit, ex ea mihi thema ſeligere

iam-

iam dudum mecum conſtitui. Quia vero non ſolum in praelectionibus chirurgicis Excell. D. PRAESIDIS, quibus per triennium fere diligenter ſemper interfui, verum etiam ultima hyeme et Anatomes et Chirurgiae cauſſa Berolini commoratus ſum, atque herniae omnis generis frequentiſſime curandae occurrunt; tamen ob nimiam earum copiam, ne nimis prolixam efficerem diſſertationem, unam tantum earum ſpeciem potius enucleare mihi propoſui. Quoniam vero iam de variis herniarum ſpeciebus varii Candidati praeſtantisſimi ſub praeſidio Excell. D. PRAESIDIS diſſertationes elaborarunt et publice ventilarunt, ut unam de *Kelotomiae ſive celotomiae abuſu tollendo*; cum illo tempore circumforanei illi celotomi non niſi per teſticuli ſani exſectionem, hernias et inteſtinales et omentales et aquoſas, cum magno ſemper vitae periculo, ac temere curaverint, ab eo autem tempore abuſui illi remora poſita eſt, ut hodie Chirurgi ac Medici peſſimam illam curandi rationem abrogaverint, et meliori ratione hernias cum teſticuli conſervatione curent. Deinde alteram *de Hernia incarcerata ſuppurata*

rata non ſemper lethali, et denique tertiam *de Hydrocele*. Sed quia etiam D. PRAESES in praelectionibus ſuis chirurgicis non ſolum varia memoratu digna exempla nobis narravit de *herniis carnoſis*, et egregias has curandi vias protulit, verum etiam in vitris et ſpiritu aſſervatos teſticulos auditoribus ſuis atque etiam mihi oſtendit admodum magnos et mirandos, qui *ſarcoceles* conſtituerunt, quos aegris non nullis, *herniis carnoſis* laborantibus, ſua manu feliciter excidit, eosque ita a moleſtiſſimo et periculi pleno malo liberavit, qui longe maiores ſunt, quam ullibi fere in ſcriptis chirurgicis delineati vel exhibiti ſunt; imo chirurgi fuerint, qui eas *ovum gallinaceum* nunquam excedere ſcripſerint, atque hoc ipſo multos et cumprimis tirones Medicinae et Chirurgiae in errores ſeduxerint, et adhuc hoc ipſo ſeducant, argumentum meum *de ſarcocele* ſive *hernia carnoſa* deſumere, atque ingentes aliquos teſticulos ſcirrhoſos, quos adhuc in vitris aſſervat, delineari aerique incidi curavi, ut ſic quanti ſaepe fieri poſſint hae partes unicuique conſtare poſſit, et ut ſic ii Chirurgi, qui vel ſcripſerunt

runt vel crediderunt, teſticulos in hoc morbo non maiorem acquirere poſſe magnitudinem, quam modo dixi, ab errore illo abducantur, et qui figuris etiam meis fidem forte habere recuſent, teſticulos hoſce morboſos ingentes in Muſeo anatomico D. PRAESIDIS adhuc hodie ſemper videre queant, quorum unum adhuc paucos ante annos hic Helmſtadii feliciter curavit, atque in hac diſſertatione ſimul optimas curandi rationes, quibus hos aegros ab ingenti ſaepe illo pondere in ſcroto haerente liberavit, hic perſpicue deſcribam: atque ſic nunc bono cum Deo ad rem ipſam progrediar.

§. I.

§. I.

Ante omnia vero, ut ordinatim procedam, dabo primum *Definitionem* illius mali, de quo hic agere et quod exponere constitui. Est itaque *Sarcocele* (quae ortum habet a graeco vocabulo Σάρξ caro et χέλη hernia) species herniae, quae consistit in incremento nimio unius vel utriusque testiculi, eiusque vehementi duritie absque inflammatione, et plerumque etiam sine dolore, ab *obstructione pertinaci eius minutissimorum vasorum seminalium.* Dixi plerumque absque dolore: adsunt tamen etiam subinde dolores, iique praesertim valde magni, ubi solo quandoque pondere hos concitare possunt. Definitio mali.

§. II.

Speciem herniae hoc vitium dixi, quia herniarum, ut in proemio iam dixi, dantur variae ac multae: quae melioris distinctionis caussa primo in *veras* et *spurias* dividuntur a scriptoribus rerum chirurgicarum. Sub *veris* intelliguntur proprie illae, in quibus aliquid, quod in ventre sive abdomine naturaliter haerere vel existere debet, per quemcunque aliquem locum ventris cum molestia eaque magna hominis aegri, ex abdomine procidit, vel vi quadam expellitur. explicatio definitionis huius

§. III.

Partes vero, quae in veris herniis expelluntur, sive prolabuntur utplurimum sunt intestina et specia- partes quae hernias faciunt

tim

tim tenuia, itemque *omentum* ſive *epiploon*, et ſaepius etiam cum prioribus *meſenterium*; atque hinc a parte prolapſa herniae *vel inteſtinales*, vel *omentales* appellantur. Loca autem, ubi hic prolapſus ſive procidentia fit, ſunt plerumque *annuli muſculorum abdominis*, per quos vel in inguina tantum propelluntur, et tunc *inguinales* dicuntur, graece *Bubonocele*; vel ad ipſum ſcrotum procidunt, et tunc *herniae ſcrotales* audiunt, graece *Oſcheocele*. Quandoque etiam ſub arcu illo tendineo, ſub quo arteriae et venae femorum e ventre exeunt, quae *crurales*, rectius tamen *femorales* vocantur: quia pars illa, ad quam procidunt inteſtina et omentum, per hunc locum, femur proprie dicitur, non *crus*; quia *crus* ſive *crura tibias* proprie ſignificant et indicant, circa quas vero, quia hae partes ſunt infra genua, eiusmodi herniae non oriuntur neque pertingunt, ſed in ſuprema femoris parte et generantur et ſubſiſtunt. 3 Procidunt etiam ſaepe modo dictae abdominis partes *in vel circa umbilicum*, et haec mala *herniae umbilicales* dicuntur. 4. oriuntur etiam ſubinde tumores *circa alia loca ventris*, in quibus etiam inteſtina et omentum colliguntur, quae preſſae diminuuntur, imo prorſus evaneſcunt; quando autem digiti ſive manus removentur, mox redeunt, quae vero ceteris rariores ſunt.

§. IV.

quaenam ſint herniae ſpuriae

Verum morbus ille, de quo agere hic conſtitui, non eſt ex hac herniarum verarum claſſe, ideoque de

de his etiam hic uberius non acturus sum; verum est ex illa, quas *hernias spurias* appellare solent, in quibus nulla viscera ex abdomine procidunt, sed in ipso scroto generantur et adolescunt. Quarum potissimum tres sunt species, et prima vocatur *Hydrocele* sive *hernia aquosa*, quae a seri congestione in scroto et speciatim in *tunica vaginali testiculi* colligitur. Altera, *varicocele*, vocatur, quae oritur ex vasis spermaticis et praecipue venis a sanguine congesto et ibidem haerente, praeter naturam distentis, et saepius magnum tumorem in scroto excitantibus; et tertia est *sarcocele*, cuius descriptionem iam in §. I. dedimus. Quidam adhuc quartam speciem addiderunt, quam *Pneumatocelen*, latine *herniam ventosam* appellant, quam a flatibus sive vento in scroto collecto deducunt. Verum quia haec species a multis et speciatim a D PRAESIDE negatur, vel saltem hic de ea dubitat, q[ui]a talem primo nunquam vidit, et deinde quia tale[m] a probato scriptore visam, aut descriptam non in[ve]nit. Adeoque plura de eo hic non dicemus, sed me[li]orem eius probationem vel demonstrationem ex[spe]ctabimus.

§. V.

Intimius vero nunc naturam et indol[e]m *sarcoceles* sive *herniae carnosae* perscrutabor, ut [t]anto melius de ipsius curatione agere possim. Dictum ia[m] est §. I. quod haec species consistat *in tumore adm[o]dum duro*, plerumque unius testi[cu]li, et quandoque etiam utriusque, a vasculorum [s]eminalium obstinatiori ob- De sarcoceles natura

 stru-

ſtructione orto, qui aegris partim propter pondus, dum ſaepius libram ſuperant, partim propter magnitudinem, ingreſſum et *ambulationem*, potiſſimum, vero *equitationem* et *vectionem*, imo et coitum impedit, eoque eo magis, quo maius pondus et molem acquiſiverunt, et propterea §. I. dixi, quod ſaepe ſit absque dolore, quandoque vero, praeſertim ſi valde magni, vehementer quoque dolent et moleſti ſunt.

§. VI.

diagnoſis ſaepe difficilis Non adeo facile a multis cognoſcitur ac diſtinguitur ab aliis quibusdam ſpeciebus herniarum affinibus, id quod tamen ad bonam curationem ſumme neceſſarium eſt: attendendum itaque probe eſt ad ſigna varirum herniarum. Nam ab *hernia ſcroti vera*, ab *inteſtinis* orta, ſive enterocele, quando inteſtina praeſertim faecibus aut cibis aut flatibus valde infarcta, ſarcocele difficulter, ut multi ſcriptores notarunt, revera ſaepe diſtinguitur; imo et *ab hydrocele:* dum ſerum ſtus copioſe collectum ſaepe vehementiſſime ſcrotum diſtendit, ſic ut adeo durum fiat, ut vix ab aliis, quam probe, imo optime in hac re exercitatis, diſtingui a ſe invicem poſſint; dum praeſertim Excellent. D. PRAESIDI ſaepius eiusmodi caſus ſeſe obtulerunt, ubi plures Medici hydrocelen pro ſarcole aut enterocele et vice verſa, veram *ſarcolen* pro *hydrocele* vel *entrocele* agnoverunt et habuerunt, imo non nulli *hydrocelen* et *enterocelen* ſimul adeſſe declararunt: ubi poſtea in curatione ſive operatione ſarcolen

len invenit; et contra ubi *ſarcocelen* adeſſe putarunt vel *hydro-ſarcocelen* ſimul, ſolam *hydrocelen*, ſicuti praedixerat, adfuiſſe invenit.

§. VII.

Speciatim vero *ſarcocelen* adeſſe cognoſcitur et diſtinguitur ab *enterocele* et *hydrocele* 1 maiori vel *maxima duritie*, quae durior eſt, quam *hydroceles* atque *enteroceles*, et 2, *maioris ponderis ſenſu*. *Enterocele* vero ab his diſtinguitur, ex aliquo *inaequali ſcroti tumore*, atque *minori renitentia*, quam in ſarcocele, minorique pondere. In *hydrocele et ſarcocele* aequalior plerumque eſt tumor, et *hic tumor nunquam in ventrem repelli potuit*, neque adhuc poteſt, neque ſponte intus remeavit. Verum *enterocele ſcrotalis* ab initio parva plerumque eſt, et tumor in decubitu, praeſertim veſperi in lecto ac ſomno, quem inteſtina elapſa concitarunt, diſparet: quia in ventrem inteſtina et omentum in hoc ſitu ſaepiſſime remeare ſolent, vel etiam ex voluntate vel aegri vel Medici in ventrem retundi manibus poſſunt, ſcrotumque tunc fit vacuum: quae prolapſa viſcera, poſtquam in ventrem refuſa ſunt, vinculis his herniis dicatis, in ventre contineri poſſunt. Verum ſerum ſive aqua in hydrocele nunquam in ventrem repelli, neque faſciis vel vinculis in eo contineri poteſt; ſed tumor ab eo concitatus ſucceſſu temporis ſemper lente creſcit atque augetur ad pugni, imo capitis quandoque magnitudinem; qui tamen digitis preſſus aliquomodo cedit, licet

diagnoſis ſpecialior ab enterocele

cet insignem duritiem praementi ostendat, et initio tumor fuit mollior.

§. VIII.

signa sarcoceles specifica

Sarcocele autem initio paulo maiore mole et duritie, quam naturaliter esse solet, se manifestat, sensim vero et *magnitudo* et *durities* et *pondus* eius augentur, et tumor hic nunquam ex scroto in ventrem repelli potest, sicuti nec hydrocele: unde simul cognoscitur, tumorem hunc non *esse herniam veram*, sive intestinalem aut omentalem, in quibus etiam tumor quidam ab annulo musculorum abdominis in scrotum usque percipi potest, qui *vero tumor* neque in *hydrocele* neque in *sarcocele simplici* adest; interdum tamen, quod probe notandum, in sarcocele etiam a tumido usque testiculo per funiculum seminalem sive spermaticum *tumor* quidam se extendit, qui indicat vasa seminalia etiam in funiculo seminali ab humoribus viscidis et crassis, aeque ac testiculum ipsum, esse infarcta quod vitium *sarcocele complicata* (scilicet cum tumore vasorum seminalium in funiculo seminali) dici potest, qui tumores etiam in ventrem refundi nequeunt; quod etiam malum longe gravius est, quam sarcocele simplex, sicut infra pluribus exponam.

§. IX.

Causae sarcoceles

CAVSAE huius vitii sunt tam internae, quam externae; internae sunt humores crassi, spissi, viscidi omnis generis, quae vascula tenuissima testiculi seminalia

nalia obſtruere apta ſunt: qui oriri et generari poſſunt ac ſaepe ſolent a cibo vel potu valde craſſo ac viſcido, a nimio otio ſive quiete, vita multa ſedentaria, cum modo dicta diaeta combinata. *Externae* cauſae autem eſſe poſſunt omnis generis laeſiones et *contuſiones* vnius vel alterius teſticuli; in non nullis etiam ab humoribus labe venerea infectis, et ſpeciatim a gonorrhoea maligna imprudenter et praemature per ad ſtringentia remedia ſive interna ſive externa adhibita, a quibus ſaepe haec ſubtilia vaſcula obſtruuntur, et ab horum obſtructione tandem ſcirrhus oritur, in cuius eſſentia *ſarcocele* conſiſtit.

§. X.

Praedictio pro varietate magnitudinis, aetatis, du- prognoſis
rationis et habitus aegri admodum varia eſt. Si enim *malum recens* vel ſaltem non adeo diu duravit, atque aeger adhuc iuvenis ac ceterum ſanus, ſectione ſæpe non opus eſt, quemadmodum D. PRESES eiusmodi ſanavit, ſed ſubinde adhuc remediis reſolvi et curari poteſt, eis ſcilicet quae in chirurgia eius eum in finem propoſita ſunt, quorſum brevitatis ſtudio lectorem remitto; cumprimis vero decoctis ligrorum diaphoreticorum, Tincturis antimonii, Eſſentiis lignorum et remediis mercurialibus efficacibus, iuncto regimine diaphoretico imo ſudorifero. Quando vero malum iam diu duravit atque inveteratum eſt, aut diuturno uſu illorum medicamentorum malum reſolvi et curari non potuit, *ad ferrum* ſive *ſcalpellum*

pellum confugiendum eſt, et teſticulus eiusmodi, qui ut inutile membrum ac moleſtiſſimum pondus tunc conſiderandum, prudenter excidendum eſt. Quam enim non nulli *per cauſtica ſive rodentia remedia* teſticulum auferendi modum propoſuerunt, nimis dolorificus, longus et periculoſus mihi videtur. Conf. hac de re MICH. ERNEST. ETTMVLLER. Progr. A. MDCCXXIII. Lipſ. de ingenti quodam ſcroti tumore pag. penultima.

§. XI.

Curatio

Curatio etiam, *quae ſcalpello fit, non eſt absque omni periculo;* partim propter exquiſitum ſenſum, quem teſticuli obtinent, partim *propter inſignes nervos et vaſa ſanguifera*, quae ad ipſum excurrunt, quae non ſolum reſecare, verum et ob ſanguinis magnam iacturam evitandam, filis ſive vinculis ligare oportet; unde quandoque et ſpasmi et febres incidunt ſymptomaticae, quae ſubinde, praeſertim apud immorigeros et diaetam negligentes aegros oriuntur; partim etiam ob ſanguinis profuſiones largiſſimas, quae ſaepius incidunt, ita ut aegri inde ſummam debilitatem ac virium proſtrationem ſentiant; quibus ſi non in tempore efficaciſſimis auxiliis occurramus, aegri ſecti in vitae periculum incurrere poſſunt. Attamen ſi Medicus novit malis hiſce in tempore per bona remedia et aptam victus rationem mederi, aegrique etiam ſuum faciunt officium, fere omnes conſervari poſſunt.

§. XII.

§. XII.

Curatio per sectionem in eo potissimum consistit, ut scrotum in latere exteriori testiculi vitiosi longa incisione, ab inguine lateris laesi per *cutem ad funiculum* seminalem sive processum peritonaei (cuius situs rite debet esse cognitus) et *testiculum laesum caute incidatur*; ac deinde hicce funiculus et testiculus a partibus, quibus adhaerent, scalpello et forfice sensim cauteque separentur. curatio per sectionem quid generatim desideret

§. XIII.

Hac in re vero *duplici* modo procedere hodie solent chirurgi, dum quidam illum funiculum una cum testiculo laeso simul separant; quidam vero initio solum funiculum hunc solvunt, eumque primo filo robusto simplici vel duplici, quod saepius, circumiecto prius linteolo, ne filum partes subiectas disrumpat, et fluxum sanguinis concitet, circumducunt, probe constringunt, ut sic constrictis in eo contentis vasis et nervis et sensus dolores minuatur, quando postea testiculum ipsum a scroto solvunt. Verum quamvis nervi testiculi hoc modo constricti sint, tamen hac ex ligatura nervi scroti non constringuntur, adeoque ut usu et experientia edoctus est Celeb. D. PRAESES, sensus doloris non omnis tollitur, sed adhuc satis acutus ab aegris percipitur, quem vagitibus et clamoribus suis satis indicant. Interea tamen priori modo hunc praeferendum esse censeo. duplici ratione hoc fieri potest

§. XIV.

§. XIV.

adhuc alius modus

Quidam hunc funiculum ita, ut modo posui, ligant. Verum quia saepius observatum est, eiusmodi ligaturam, ob circumpositam robustam processus peritonaei tunicam arterias saepe non satis fortiter ea constrictas fuisse, scirrhoso testiculo, ab hoc funiculo resecto, saepius magnam harum arteriarum haemorrhagiam ortam esse; hinc alii acum duplex filum trahentem per medium hunc funiculum et processum peritonaei transmittunt, et altero filo dextrum, altero sinistrum latus, circumiecto quoque, ut supra dictum est, linteolo constringunt, atque hisce probe constrictis, reliqua parte horum filorum quoque totum funiculum adhuc probe constringunt, ut sic tanto magis sensus testiculi obtundatur, et haemorrhagia sive profusio sanguinis melius, resecto tandem testiculo, avertatur, praesertim si hic funiculus pollicis latitudine supra testiculum scirrhosum resecetur.

§. XV.

deligatio aegri prima

Ablato sic testiculo, extremo funiculi seminalis spleniola, duo vel tria, sensim ampliora imponuntur probe appressa; deinde multis linamentis carptis in glomeres contortis sive convolutis, scrotum hoc vacuum sensim repletur, eaque omnia vola manus probe contra finem funiculi resecti apprimuntur, ut sic ora arteriarum spermaticarum resectarum melius comprimantur; postea splenia duo vel tria crassa conve-

nien-

nientis magnitudinis, ut scrotum cingere possint, circumponuntur, et fascia quadam, quae a littera T nomen habet, quales in Cel. D. PRAESIDIS institutionibus chirurgicis, vel et in germanica sua chirurgia Tab. XXXVIII. Fig. VI, VII, VIII, IX, X, XI et XII indicantur, probe firmantur et quieti in lecto commodo traditur.

§. XVI.

In tali statu per duos tresve dies quietus relinquitur, atque ordinatur ipsi moderatus ac tenuis victus, potusque aquatus, vitando omnia calefacientia, et praescribuntur ipsi remedia temperantia ad febrem sive calorem p. n. avertendam, praesertim in forma potiunculae. Quando vero denuo diligatur, solvitur fascia, removentur splenia et linamenta, quae sponte quasi vulnus relinqunt, una cum sanguine effuso, ac sordibus omnibus, nova unguento digestivo imbuta una cum recentibus spleniis, fomento ex aqua calcis vivae ℔j et spiritu vini camphorato ℥iij, adiecta cerussa ℥i et sale ammoniaco ℥ß calide, et fascia iniiciuntur, atque sic continuatur, donec non solum linamenta carpta omnia exciderint, sed vulnus quoque rite purgatum appareat. deligationes frequentes

§. XVII.

Ne vero haecce mea doctrina ac dissertatio de curatione huius herniae nimis prolixa fiat, si omnes cautelas, quae in ea observandae sunt, hic describere cautelae

vellem, proponam nunc potius obſervationes et exempla de hiſce malis, et quidem graviſſimis, quae D. PRAESES in ſuis praelectionibus chirurgicis referre ſolet, atque ſimul aliquot exempla maximarum eiusmodi herniarum, quas delineari et aeri incidi curavi, eaque ex communicatione D. PRAESIDIS, quomodo in his exſtirpandis proceſſerit, hic curam cum variis ſymptomatibus et cautionibus deſcribam, et *icones variam* ſubnedam.

§. XVIII.

Exemplum primum

Primum notabile exemplum deſcripſit Cel. D. PRAES. iam in ſuis ſuperiori anno lingua vernacula noſtra evulgatis obſervationibus medicis, anatomicis et chirurgicis p. 121. obſ. 70. quod in latinam linguam translatum ita ſe habet. Die ultimo Iulii anni 1709, quo *Tornacum*, urbs illa Gallorum tunc in Flandria munitiſſima, ſe Foederatis illius temporis, ſub imperio fortiſſimorum duorum Ducum *Eugenii et Marlborugii*, reddebat, praefectus militum praeſidio urbis *Audenardae* (ubi illo tempore noſocomium caſtrenſe Hollandorum erat, qui *Maioris* titulo et functione tunc ibidem ornatus erat, quadraginta annos circiter natus, ceterum ſanus et robuſtus, tempore matutino ad ipſum veniebat, qui iam a biennio *teſticulo ſcirrhoſo* ſive *ſarcocele* laboraverat, pugni fere magnitudine; verum neque inflammatus, neque dolens, ſed tantum quando ambulare aut equitare volebat aut debebat, moleſtias ipſi haud leves concitabat;

tabat; qui multorum et Medicorum et Chirurgorum auxilia ac remedia pro eo resolvendo et imminuendo iam adhibuerat; verum quae omnia nihil profuerant. Cum itaque et D. PRAESIDEM hanc ob caussam consuluisset atque auxilium ab ipso petiisset, rebus probe perpensis, ipsi dixit, nullam amplius spem esse scirrhum sive malum hoc suum inveteratum adhuc remediis dissolvi, sed *scalpello illud, tanquam membrum corruptum et in utile, resecandum* esse, et hoc solo ipsum ab eo liberari posse, seque illud, praesente D. de QVAVREN, qui primarius tunc exercitus Hollandici erat Chirurgus (*General chirurgien)* et ibidem tunc etiam degebat, auferre velle. Quoniam vero aeger hic ab hoc vitio liberari valde desiderabat, et tam multis iam remediis dissolventibus frustra usus esset, in extirpationem eius consensit. Pro praeparatione itaque ad hanc sectionem D. PRAESES ipsi mox suasit, ut hoc mane adhuc sanguinem sibi ex brachio detrahi curet, et somni tempore ipsi pilularum polychrestarum suarum scrup. I. deglutiendas dedit, atque promisit, se perindie, qui dies altera Augusti erat, actionem hanc ipsam susceepturum esse.

§. XIX.

Curavit itaque postea pro hoc die, ut chirurgorum unus ex nosocomio castrensi huius loci apparatum conficeret: ut fasciam litterae T figuram obtinentem, linamenta carpta multa, splenia linea et spongiam; ipse vero simul necessaria ad hanc actum re- praeparatio adhunc actum

media, et ſpeciatim potiunculam roborantem interne, et ſpiritum ſimilem pro uſu externo ordinavit. *Scalpellum* vero ſuum, *forficem bonam*, et *acus curvas* ſibi ipſi praeparavit, atque praedicto die mane hora decima, una cum Dno. DE QVAVREN, et quatuor chirurgis ex praedicto noſocomio ad eum accedebat, poſtquam aeger paullo antea ex eius ordinatione iusculum aliquot roborans aſſumſerat, atque tunc in aedibus aegri huius curabat, ut per famulos apta menſa in medio cubiculi verſus feneſtras collocetur, ita ut ibidem ſatis clara lux pro actione hac rite perficienda eſſet, atque tegumentum aliquod una cum pulvinari quodam huic menſae, eumque veſtibus, induſio excepto, detractis, eidem ipſum imponi iuſſit, ita ut pulvinar capiti eius fuerit ſuppoſitum, atque iubebat poſtea, ut aeger utrinque manu una menſam probe comprehenderet, et ſe in hac firmaret; duo autem Chirurgorum utrinque una manu pedem iuxta genu, et altera manu eundem circa malleolos; tertius et quartus vero pectus una cum brachiis firmabant: quibus ſimul ordinavit, ut quando ſectionem inchoaturus ſit, aegri faciem mantili tegerent, ne ipſam ſectionem curandus inſpiceret, et forte terrore inde nimio afficeretur. Haec cum ita aptata et ſpongia etiam praeſto eſſent, extrahebat ex armamentario ſuo chirurgico portatili bonum ſcalpellum parvum et forficem, una cum acu curva; quae filum duplex ceratum trahebat, aegrum blande compellebat ac monebat, ut ſe virum praeſtet, ſe ipſum vero omne ſtudium et diligentiam adhibiturum eſſe, ut actum hunc

chi-

chirurgicum, quantum tuto fieri possit, cito ad finem perduceret.

§. XX.

His omnibus ita ordinatis D. PRAESES comprehendebat cutem supra testiculum tumidum in inguinis aegroti altero latere, in altero autem latere iubebat quinto adiutori, ut eodem modo cutem indice et pollice suo comprehenderet, eamque sicuti ipse D. PRAESES in altum elevaret, cutem vero hanc elevatam medio in loco scalpello incidebat, sicut in herniis incarceratis alias fieri quoque solet; quae vero incisio his in casibus minorem curam requirit, quam in herniis incarceratis: quia hic nulla intestinorum laesio a scalpello pertimescenda est, ut in hernia incarcerata; dum in testiculo eiusmodi corrupto nullam noxam concitare potest. Quo facto cutem et pinguedinem ad duorum vel trium digitorum latitudinem ad testiculum usque morbosum dissecabat, et postea incisionem hanc suam, sursum et deorsum, supra testiculum hunc extendit usque ad annulum fere musculorum abdominis, atque usque ad inferiorem testiculi scirrhosi partem. Speciatim vero postea funiculum etiam seminalem spatio trium circiter digitorum ab annulo praedicto a vicinis partibus aliquomodo separavit; ut filo cerato hic probe eum circumdare, ac postea probe constringere possit.

Actio ipsa describitur

§. XXI.

Hoc facto, *acu curva funiculum hunc medium perforabat*, filum, quod ulnae nostratis longitudinem habe-

et hic continuatur.

habebat, ad dimidiam partem traducebat, acum poſtea a filo reſecabat, et alterum fili extremum manu ſiniſtra, alterum dextra arripiebat, alteroque extremo dextrum funiculi latus, altero ſiniſtrum ambiebat, et ſuper linteolo contorto ſubiecto fila haec duo nodis firmiter in uno latere conſtringebat, alteroque filo in altero funiculi ſeminalis latere idem faciebat. Denique linteolum digiti latitudine circa hanc primam ligaturam circumducebat, et filis illis aliquoties adhuc totum funiculum circumdabat, altero in interiori, altero in exteriori funiculi ſeminalis latere, ut ſic arteriae ſpermaticae tanto firmius una cum nervis conſtringerentur, ac tanto melius ac certius poſt amputationem teſticuli ſcirrhoſi fluxus ſanguinis per ora arteriarum reſectarum praecaveatur, et ob nervos probe conſtrictos ſenſus doloris, quando teſticulum vitiatum e ſcroto ſolveret, minueretur. Poſtquam haec peracta erant, totum hunc teſticulum vitioſum e ſcroto partim ſcalpello, partim forſice, prout ipſi commodiſſime viſum eſt, ſeparavit, eumque tunc digiti ſpatio ſupra hunc teſticulum forſice reſecavit, partemque cutis ſcroti, quae nimia videbatur, forſice quoque amputavit, et cavum ſcroti reliquum linamentis carptis ac contortis probe replevit, ſpleniis obtegit multis, et faſcia T haec omnia firmavit, aegrumque in lectum ſuum collocari iuſſit.

§. XXII.

vulneris curatio

Tertio die primum faſciam hanc ſolvit, ſplenia et

et linamenta carpta, quae ſoluta erant, inde removit, et vulnus a ſordibus ac ſanguine purgavit. Nova vero poſtea linamenta, unguento digeſtivo imbuta, in eorum locum ſubſtituit, eoque hoc vulnus, ſicuti alias vulnera mundari ſolent, quotidie per quatuor hebdomades, ſub bono regimine ac diaeta, deligavit, et poſtea loco huius unguenti balſamum copaivae per duas hebdomades, denique vero linamentis aridis vulnus glutinavit, nullo gravi ſymptomate aegrum noſtrum invadente.

§. XXIII.

Anno MDCCXXI, die trigeſimo Auguſti, *Molitor quidam* ex oppido Obisfeld in ducatu Magdeburgico ſito, quod tria milliaria germanica ab Helmſtadio diſtat, et patria mea eſt, huc Helmſtadium ad D. PRAESIDEM in curru quodam vehebatur, quia a praegreſſis multis doloribus ita debilitatus erat, ut ambulare vix amplius potuerit. Hic ipſi narrabat, ſe iam ultra anni ſpatium alterum teſticulum naturali longe maiorem et duriorem ſenſiſſe, et contra hoc malum varios Chirurgos paganos conſuluiſſe, qui varia remedia, neſcio quae, ipſi adhibuerint; quibus vero malum non diminutum, ſed potius ſemper auctum eſſe ac doloribus tandem accedentibus in ulcus mali moris degeneraſſe, cute ſcroti lateris laeſi variis in locis perrupto, ita ut teſticulus hic faciem aliquo modo induxerit *cancri mammae exulcerati*, ſanie foetida multa quotidie effluente, quo ita, ut mo-

Caſus et exemplum alterum

do

do dixi, debilitatus eſt, et in miſero tali ſtatu auxilium abs D. PRAESIDE, et quidem per medicamenta, ſi fieri poſſit, deſideravit; verum hic ipſi reſpondit, nullum ab his hoc in malo gravi ſperandum vel exſpectandum eſſe, praeſertim quia valde impurum corpus haberet: ſed unicam ſalutis ſpem in ſcalpello adhuc eſſe poſitam. Itaque huic curationi ſe ſubmittere et hic curationis cauſſa manere velle concludebat.

§. XXIV.

praeparatio huius aegri

Igitur D. PRAESES pro peſſimo eius corporis habitu et ſanguine vitioſo, quantum fieri potuit, corrigendo, ipſi ſuaſit, I. *ut* corpus *a craſſis humoribus* evacuante quodam idoneo liberetur, et XV pilularum ſuarum polychreſtarum proxima nocte aſſumeret; *Venaeſectionem* vero hic omittebat, ne iam debilis, ſanguinis miſſione adhuc magis debilitetur. II. Vt pro *ſanguine corrigendo* per XV dies decocto ex radicibus et lignis purificantibus uteretur, quod conſtabat:

Rec. Rad. ſarſaparill et chinae aa. ℥iß
Raſ. Ligni ſaſſafr. et guajac aa ʒß.
M. Conciſ. cr. mod. D. ad Chart.

de quibus ſingulo mane et veſperi pugillus in libra una aquae leniter per aliquot momenta coquebatur, aqua poſtea decocta, ut decoctum coffee, pauco ſacharo admixto, ab eo bibatur.

III. ℞. Tinct. antimon. tartariſat.
Eſſ. lignor. aa. ℥i.
M. D.

M. D. ad vitr. et huius mixturae guttae 50. vel 60 ſemper cum primo hauſtulo decocti huius aſſumat; reliquum vero poſtea ſenſim intra horae dimidiae ſpatium bibat, ſuperiniuncto poſtea regimine diaphoretico, praeſertim mane, cum bona diaeta.

IV. Sequens pulvis

℞. Milleped. ppt.
rad. ononid. aa. ℥j.
cinam. acut. cardamom. aa. ʒjj.
merc. dulc. ʒj.
M. f. pulv. d. ad. ſcat.

de quo mane et circa veſperam ʒj. ſumebatur.

V. ℞. aq. calc. viv. libr. j.
Spirit. vin. camphor. ℥iij.
Ceruſſ. ppt. ℥j. M. d. ad. Vitr.

pro fomento calide ter quaterve quotidie cum ſpleniis craſſis loco laeſo applicando. His usque ad medium Septembris uſurpatis, progrediebatur D. PRAESES d. XVI. Sept. ad *curationem chirurgicam*, nimirum ad extirpationem teſticuli huius corrupti et quaſi cancroſi, qui videri poteſt in fig. I. noſtra, poſtquam interea bona diaeta etiam vires aliquomodo rurſus collegerat, et a Chirurgo hunc in finem neceſſaria requiſita pro hac curatione, menſam ſcilicet et lectum, linamenta carpta, ſplenia, faſciam aliasque ad hanc actionem neceſſaria, quae antea in §. XV. et XVI indicavi; attamen quia hic aeger longe erat debilior, quam praecedens §. XVIII, praeter iuſculum bonum ma-

ne aſſumendum, *potiunculam* etiam et ſpiritum *roborantem* et *analepticum* ipſi praeſcripſit, ut de ea aliquot cochlearia ante, in et poſt operationem ſubinde aſſumeret, pro viribus blande refocillandis, et animi deliquiis, quae alias facile his in malis gravioribus ſupervenire ſolent, avertendis.

§. XXV.

operatio et curatio ipſa

Curandi vero actionem ipſe, poſtquam aeger menſae idoneae impoſitus erat, D. PRAESES perficiebat ad normam illam, quam apud praecedentem obſervavit §. XX. ea ſolum variatione, ut, id, quod in illo caſu Chirurgi in aegro continendo et firmando perfecerant, hic Studioſi Medicinae, qui illo tempore hic fuerunt, praeſtiterint, et in ſanatione vulneris eadem etiam ratione proceſſit, ſive ut alias in vulneribus ſanandis in univerſum fieri ſolet. Attamen ad curationem in debiliori hoc aegro, cui ſanguis longe magis corruptus erat quam in illo §. XVIII, ſequentes herbas pro vulnerario potu quotidie aliquoties bibendo ei praeſcripſit.

℞. Herb. agrimon. ſaniculae aa. Mj.
Lign. ſaſſafr. ℥ß.
ſantal. citr. ℥ij.
Sem. aniſ. ſtellat. ℥i. M. Cont.

d. ad. Scat. S. *Herbae vulnerariae* ad modum herbae Theae mane et circa veſperam cum ſaccharo calide bibendae. Praeterea in hac curatione etiam ipſi bonam

nam victus rationem ordinabat, eique pro debili corpore roborando et viribus conſervandis, imo et augendis, pro cibo maximam partem bona iuſcula parabantur: quibus ſucceſſu temporis fructus horaei cocti, pruna, poma et pyra aliaque vegetabilia leniora, imo et molliores carnes et ova ſorbilia addebantur; ſed pro potu, praeter decoctum illud vulnerarium, cereviſia tenuis initio ipſi concedebatur; circa finem vero paulo magis nutriens: quo factum eſt, ut intra duos menſes ſanatus domum reverſus ſit.

§. XXVI.

Anno MDCCXXVIII die Ianuarii XXVIII Wolfenbutela rhedarius Dn. HERTELII, qui Sereniſſimo Duci noſtro a Conſiliis atque Bibliothecae Auguſtae ibidem praefectus primarius erat, D. PRAESIDI curandus hic mittebatur, qui magna ſarcocele atque diu ſimul febre intermittente laboraverat; unde adhuc ex pallido flaveſcentem, febrilem habebat faciei colorem, venterque eius aliquomodo erat tumidus, attamen ciborum appetentia ipſi adhuc erat bona, et vires etiam adhuc ſatis conſtabant, ſic ut pedibus iter Wolfenbutela huc fecerit, quod quatuor eſt milliarium germanicorum, atque a moleſto illo ſcroti tumore liberari ab ipſo deſiderabat. casus et exemplum tertium

§. XXVII.

Itaque illum ad operationem praeparavit, *prae-* praeparatio aegri

 miſſo

misso purgante ex pilularum polychrestarum suarum scrupulo uno, omissa sanguinis detractione, ob rationes §. XXIV datas: cui postea subiunxit remedia febrium intermittentium reliquiis destruendis apta, et nominatim seqq.

I. ℞. Herb. card. Bened.
Heder. terrestr.
Flor. Chamomill. aa. Mj. M. concis.

crass. mod. d. ad Chart., quibus ut Thee bis vel ter quotidie utebatur cum pauxillo sacchari

II. ℞. Ess. Absinth. compos. ℥j.
Cort. aurant.
Cascarill aa. ʒij. M.

d. ad vitr. de qua mixtura mane, circa meridiem et vesperam guttas 60 cum Thea illa assumebat.

III. ℞. Tartar. vitriolat.
sal. absinth aa. ℥ß.
arcan. dupl. ʒij. M. d. ad scat.

Huius pulveris vesperi hora quarta et ante cubitum ʒß. cum aqua card. benedicti assumebat, et modica diaeta ipsi ordinabatur.

§. XXVIII.

Ipsa curatio chirurgica.

Postquam his remediis per octiduum usus erat, atque aeger satis bene se habebat, D. PRAESES *Curationem per scalpellum* in eo, praesentibus multis Medici-

dicinae Studiosis et aliquot Chirurgis eadem ratione perficiebat, ut in praecedentibus; attamen dum scrotum incideret, *aliquot unciae seri effluebant*, quibus emissis scroti vulnus sursum et deorsum, ut in praecedentibus, scalpello ampliabat, funiculum seminalem ligabat, *magnum scirrhosum testiculum* a partibus annexis separabat, resecabat atque aegrum sicuti praecedentes, deligabat, lecto committebat *et potiunculam analepticam* ordinabat, de qua parum singulo bihorio vel trihorio ad vires roborandas assumebat. In sequentibus deligationibus eadem ratione aegrum tractavit, ut praecedentes, per integras quatuor hebdomades, quibus tam bene se habuit, ut iam rursus in cubiculo suo, imo etiam in domo, ubi hic habitabat, circumambulaverit. Sed cum in fine quartae hebdomadis ancilla huius domus ignem in fornace sui cubiculi alere neglexerat, ipse hoc facere voluit: dum vero hoc faceret, et pronando lignum immittere vellet, hoc agendo *fragorem* sive *crepitum* peculiarem atque insolitum in ventre suo sensit, et postquam hoc facto rursus in cubiculum suum remeavit, inopinatam in se percepit virium subitaneam iacturam ac debilitatem, quam quidem mox D. PRAESIDI significari curavit, cui etsi roborantia remedia mox optima opposuit; tamen vires restitui non potuerunt, sed post altero tertiove die, et sic quinta hebdomade post operationem mortuus est. *Die subsequente cadaver eius*, praesentibus rursus omnibus Medicinae et Chirurgiae Studiosis, *aperuit*, apertoque eius ventre, ipsum pure valde repletum deprehendit et cum

in originem huius rei inquireret, in meſenterio magnam glandulam, capitis infantis quaſi magnitudine circa vertebras lumborum invenit duram, in qua magnum erat cavum, in quo pus hoc ortum erat. Hoc vitium itaque erat *hydroſarcocele*, cum *abſceſſu magno in meſenterio complicato*, *qui cauſſa mortis huius aegri fuit*, et *non ſarcocele*; neque operatio huius cauſſa inſtituta; atque *teſticulus* hic ſcirrhoſus *decem* fere habuit *uncias*, eiusque magnitudo et facies fig. II. videri poteſt; ipſum etiam, ut ex eadem figura patet litt. A. incidit, ea ſpe fore, ut vaſcula ſeminalia magna et valde diſtenta ſint apparitura; ſed aeque parva erant, ut in ſano et naturali teſticulo eſſe ſolent, id quod mirandum in tanta teſticuli diſtenſione.

§. XXIX.

casus quartus et eius curatio

Quartus caſus, qui D. PRAESIDI curandus oblatus eſt, fuit vir nobilis XXXVI annos natus, qui *in latere dextro ſarcocele* affectus fuit ovi gallinacei circiter magnitudine (vid. fig. III) et qui poſtquam per ſatis longum tempus remedia malum hoc diſſolventia adhibuerat, et malum non minui obſervaverat, a PRAESIDE, ut illud ſcalpello excideret, anno 1743 die 27 menſis martii deſideraverat. Igitur quia ante paucos dies alvum evacuante remedio uſus erat, d. 28 ſectionem mox ipſam Praeſes, praeſente egregio et primario legionis chirurgo, eadem ratione perfecit, ut praecedentes; niſi quod *teſticulum non mox amputaverit*, ſed ſecundum huius ſententiam, quaſi hoc ſan-

ſanguinis profuſionem certius praecaveret, funiculum ſeminalem tantum ligavit, eumque cum teſticulo vitioſo ſpleniis, fomento calido p. 17 §. XVI involutum, hoc die ac nocte inſequente relinqueret. Cum vero circa meridiem *pulſum et calorem* p. n. in aegro hoc perciperet, *potiunculam temperantem* ei praeſcripſit, ut de hac aliquoties hoc die et nocte cochlearia duo aſſumeret, et 2. *ſanguinis* ℥viij e brachio ipſi detrahi curavit: id quod in prioribus, quia debiliores et ſeniores hoc erant, et nulla ratio hoc exigebat, non fecit, quibus febricula haec altero die rurſus profligata fuit. Sed cum aeger hoc die circa veſperam dolores circa partes *laeſas ſentiret*, interne *emulſionem* anodynam ipſi praeſcripſit ſequentem.

℞. Amydal. dulc. recent ℥j.
ſem. papav. alb. ℥ß.
amygdal. amar. ʒij. M. et F. cum decoct.
hord. libr. iß. l. a. *Emulſio*: adde poſtea
ſacch. perlat. ʒj.
ſyrup. papav. alb. ʒij. M. D. ad vitr. de qua
ſingulis horis ſumat hauſtulum ℥j. ad ℥ij.

Externe fomentum illud modo landatum cum ſpleniis *ſcroto et teſticulo*, quovis bihorio, calide circumpoſitum eſt, ſervata diaeta tenui et hauſto potu aquato.

§. XXX.

Noctem primam et ſecundam hic aeger inſomnem

ſymptomata quaedam

mnem et ſub doloribus tranſegerat, imprimis vero dolores circa lumbos et os ileum dextrum erant magni; quibus vero antea, ut retulerat, ſaepius obnoxius fuerat, ſed hac nocte et hodie mane ſolito vehementiores erant. Die 29 Martii mane cum adhuc urgerent, D. PRAESES iudicavit, eos a tractione ponderis teſticuli vitioſi cum vaſis ſpermaticis, arteria aorta et vena cava adhuc coherentis oriri. Hinc ipſe et Chirurgus adiutor iudicarunt *conſultum eſſe teſticulum hunc trahentem omnino reſcindere*; id quod etiam, iniecta adhuc altera ac nova ligatura in eodem loco funiculi ſpermatici, ubi prior haerebat, pro haemorrhagia eius vaſorum tanto certius avertenda; et hoc facto teſticulum hunc forfice, digiti ſpatio infra ligaturam reſecavit; vix guttula una aut altera tunc effluente. Superimpoſuit poſtea Chirurgus his vaſis linamenta et ſplenia multa, atque faſcia T duplici ea firmavit. His vero non obſtantibus, poſt aliquot horas *aeger ſenſit ſanguinem faſciam penetrare*; qui, poſtquam hoc nobis indicavit, venimus et vidimus magnam ſanguinis copiam inter eius femora effuſum. Igitur deligationem ſolvere neceſſarium eſſe iudicavimus et linamentis ablatis deprehendimus ſanguinem ex arteriola quadam funiculi ſeminalis diſſecti profluere: quare hanc filo, ope acus curvae circumiecto ligavimus, ac denuo aegrum deligavimus: quo facto ſanguis hic quievit et dolores etiam in dorſo et oſſe ilei remiſerunt. Ordinavit poſtea, cum circa veſperam levem rurſus febriculam ſentiret aeger, pulverem temperantem hora quinta et nona

ad

ad ℥ß ſumendum et potum ex decoct. hordei citrato pro potu ordinario; ita ſequente nocte per aliquot horas dormivit. Die 31 Martii his continuavit, et quia aeger mane *incommoda a flatibus* ſentiret D. PRAESES ipſi ordinavit

℞. Eſſ. Cort. aurant.
Carminat. Wedel. aa. ℨij.

M. D. ad vitr. de his guttis cum Thea, circa meridiem cum iuſculo gutt 50. hodie et ſequentibus diebus aſſumeret; ſic nocte hac bene dormivit: die 1. Aprilis mane melius ſe habuit, atque in prandio etiam paululum comedit.

§. XXXI.

Die altero Aprilis, quia *alvus hucusque fuerat clauſa*, *clyſma* emolliens et carminativum ipſi dari curavit, ſic tertio Aprilis die optime ſe habuit. At- tamen veſperi poſt coenam cum tormina in ventre paulo acerbiora denuo experiretur aeger, ſequens ipſi ordinavit remedium admodum egregium Alia adhuc ſymptomata

Rec. pulv. antiſpaſm. Stahlii ℈j.
auri fulminant. grj. M. et D.

ex ſeq. vehiculo

Rec. aq. flor. chamom. ℥ij.
Meliſſ. ℥j. vit. Mathiol. ℥ß.

M. de qua mixtura, etiam *ſi tormina brevi non ceſſent*, quavis hora cochleare ſuperingerat, ita *ſenſim et tormina haec ceſſarunt*, et *ſummo mane ſponte larga ſecuta eſt alvi evacuatio*, atque hora octava altera, quarto autem et quinto die Aptilis aeger optime ſe habuit.

Deligatio vero quotidie *bis facta* eſt ungu. digeſtivo et fomento illo ex aqua Calc. viv. et ſpirit. vin. Camph. §. XVI; quo etiam die 6. Aprilis loco ptiſanae *cerevisiam tenuem* bibere deſideravit: quam, quia ſatis bene hodie ſe habuit, ipſi modice conceſſit, et optime inde ſe habuit. D. X. Aprilis *ligatura funiculi ſeminalis* cecidit, et ſic ſenſim melius ſemper ſe habuit, ut *ſurgere e lecto* et in cubiculo circumambulare potuerit. D. XX. vulnus loco unguenti digeſtivi *balſamo copaivae*, quod vulnerarium egregium eſt, quotidie deligari iuſſit; ſic ſanatio bene ſucceſſit. Die XXViij. Aprilis extra aedes prodeambulare coepit, et die X. Maji vulnus omnino conſolidatum, ipſeque omnino ſanatus erat. Huius caſus paullo prolixiorem hic dare volui deſcriptionem, ut inde cognoſcatur, quomodo cum his aegris et cumprimis nobilioribus, ſi ſymptomata ut ſaepe fit, incidunt, agendum ſit.

§. XXXII.

caſus quintus

A. MDCCXXXXIX. d. XIX. Sept. alius nobilis ex Saxonia ſuperiori huc ad D. PRAESIDEM perveniebat, *maiori longe ſarcocele* eoque valde dolorifico oneratus, quam praecedentes fuerunt, eiusque curationem per ſcalpellum ab ipſo efflagitabat, quia omnia remedia, quae a Medicis et Chirurgis ibidem, quos conſuluerat, malum haud minuere multo minus diſſolvere ac tollere potuerunt; nec ullus eorum etiam curationem, quae ferro fit, in tanto malo perficere auſus eſt. Annos XXVIII aeger habebat, ſed ob diuturnos et vehementes dolores perpeſſos, *valde emaciatus ac pallidus.*

dus. Die XX. Sept. ei potiunculam laxantem mannatam pro praeparatione cum modica diaeta ordinavit, quae etiam d. XXI. ventrem eius probe evacuavit; ſanguinem vero ipſi non detraxit, quia iam ſatis debilis et emaciatus erat, ſed potius poſtea ei *potiunculam roborantem*, ut de hac craſtina die ante, in et poſt operationem ſubinde cochleare unum vel duo aſſumeret. Die autem XXII ipſam hanc actionem mane in ipſo eadem ratione ſuſcepit, ut in aegro praecedenti, relicto ſcilicet, et non mox reſecto, teſticulo probe ligato, eumque eodem quoque modo deligavit.

§. XXXIII.

Veſperi autem faſcia et *ſplenia ſanguine imbuta erant;* attamen quia ſanguis iam coagulatus, et aeger non debilior, quam antea erat, faſciam non ſolvi voluit D. PRAESES; ſed ſuaſit, ut aeger ſe tantum quietum contineret, eique *emulſionem* eandem, quae p. 31 deſcripta eſt, ordinavit, ut de hac ſaepe pro ſiti et pro lubitu hauſtum ſumeret, et noctu Chirurgum ac Studioſum apud ipſum reliquit, qui vigilias agerent; quo facto *ſanguinis fluxus ſubſtitit*, et ſatis bene hac nocte dormivit. Die XXIII Sept. faſciam primam caute ac blande removeri curavit, vulnus a cruore ſpleniis et linamentis carptis, quae ſoluta erant, purgari, atque nova linamenta ac ſplenia loco remotorum applicari, eaque rurſus nova faſcia firmari iuſſit. Nocte ſubſequente et die 24. Sept. teſticulus adhuc cum funiculo ſuo cohaerebat, ſed *cruor aquoſus adhuc nova ſplenia* penetraverat, unde aeger

ſymptomata huius

 valde

valde debilitatus erat: attamen ab emulſione illa, de qua libras duas ad tres his ſingulis diebus conſumſerat, egregie rurſus roboratus eſt. Die 25. faſcia non eſt ſoluta, quia ſanguis ſtetit, eoque die non niſi emulſione illa uſus eſt, ubi vero ob ſitim magnam tres ad quatuor libras magna cum voluptate bibit, ſine ullo indicio alicuius ſtuporis vel ſomni praeter naturam; ſed hilaris et alacris hoc die fuit, nihil tamen aliud comedere aut bibere voluit, quam hanc emulſionem: atque hac nocte bene ac naturaliter dormivit, et mane robuſtiorem ſe rurſus ſenſit. Die 26. Sept. faſcia rurſus eſt ſoluta et ſplenia cum linamentis omnibus e vulnere remota ſunt; ubi demum teſticulum hunc corruptum ſcalpello a funiculo ſeminali reſecavit D. PRAESES, et quamvis hic vaſa ſanguifera ſupra ligaturam valde fuerint tumida, tamen ne cochleare ſanguinis e funiculo hoc diſſecto effluxit, praeſertim cum antequam teſticulum reſecuerit, adhuc novam ligaturam eo in loco, ubi prior erat, cum filo robuſto duplici ei iniecerit, et poſtea vulneri novis linamentis ac ſpleniis proſpexerit. Emulſionem illam hoc die adhuc ad quatuor libras usque, quia eam amabat et valde ſitiebat, bibere continuavit, atque ſuavitatem eius ſemper laudavit; ſequente nocte optime dormivit, et mane laetus ac hilaris fuit, ſine ullo ſopore aut ſomnolentia praeter naturam: unde D. PRAESES, quia alias iam idem notavit, *ſemen huius papaveris* albi, cuius ſuccum ſive lac in Emulſione intra quinque dies ex integra circiter ſeminis libra aſſumſerat, et nullum etiam ſomnum praeter naturam huic aegro induxerat, ſed egregie ipſum ſemper

per refecerat, non adeo noxium eſſe medicamentum iudicavit, quam multi perhibent, et nullam vim narcoticam ipſi iure adſcribi poſſe, hoc rurſus exemplo vidit: quod propterea cumprimis hic notare voluit, quia quidam Medici in uſu huius ſeminis in emulſione adeo timidi fuerint, ut in conſultationibus cum ipſis ne quidem ʒß admittere voluerint et ultra ʒij. aſcendere noluerint; Cum tamen temperando, roborando et nutriendo egregias vires hic exeruerit. Die XXVII faſciam non mutavit, quia neque ſanguis, neque ſerum, aut aquoſi liquoris aliquid eam penetraverat, et interea temporis etiam nihil febrilis ſenſit, ſed bene ſe habuit, et continuando emulſionem die XXVIII. Sept. tam bene ſe habuit, ut mane ſolus e lecto ſurrexerit, et ultra horam in ſedili ſedere potuerit, ubi etiam denuo deligatus eſt, et ſic etiam die XXIX, qui octavus erat ab operatione, ubi deprehendebatur fila, quibus ligatura funiculi ſeminalis facta erat, ſponte decidiſſe, ſine ulla haemorrhagia aut alio incommodo: et funiculum hunc, qui antea ſemper adhuc ſolito craſſior erat, ita detumuiſſe, uti in ſtatu naturali alias eſſe ſolet.

§. XXXIV.

Continuata itaque eſt deligatio *ope unguenti digeſtivi et fomenti ſupra memorati.* Die XXX autem Sept. per totum fere diem extra lectum ſine omni incommodo manere potuit, atque cum primis ſex diebus ſola emulſione pro cibo et potu ex propria voluntate uſus eſſet, die ſeptimo et octavo iuſculis pro cibo et aqua pro potu uſus eſt; die nono phaſeolos

curatio vulneris

etiam recentes et duas aviculas comedit. Poſtea ſingulis diebus ita deligatus eſt uſque ad diem octavum Octobris, a quo tempore *alternis* tantum deligatio iterata, et fomentatio, quia nulla amplius aderat inflammatio, omiſſa eſt, atque ſicca tantum ſplenia ſuper impoſita ſunt. Die XII. Octobr. tam bene iam ſe ſe habuit, ut in publicum prodeambulaverit, id quod poſtea quotidie ita fecit. Die vero XVI. Octobris *loco ung. digeſtivi*, cum vulnus probe mundatum videretur, *balſamo copaivae* et Emplaſtro de minio camphorato deligatum eſt, usque ad finem Octobris; ubi vulnus maxima ex parte glutinatum erat, et tunc pro vulnere exſiccando *linamentis* carptis aridis et praedicto emplaſtro, quibus circa medium Novembr. omnino glutinatum erat, et qui ſumme debilis, cum huc veniſſet, et initio etiam curationis fuerat aeger, die XX. Novembris ſanus et vegetus domum reverſus eſt.

§. XXXV.

de ſarcocele cum funiculo, ſeminali ſcirrhoſo.

Poſſem nunc adhuc etiam agere de *illis ſpeciebus ſarcoceles complicatis*, ubi ſimul totus funiculus ſeminalis in ſcirrhum mutatus eſt, et ſic durities a teſticulo ad annulum, vel ipſum abdominis cavum ſe extendit, quales aliquot etiam vidit D. PRAESES; et ego iam ſupra p. 12. de eo dixi; Verum quia hos caſus pro maxime periculoſis habet, eosque nunquam curandos ſuſcipere voluit, ego etiam de his plura hic non dicam.

§. XXXVI.

Deſcribuntur etiam a quibusdam *alia vitia*, ubi totum ſcrotum valde magnum et durum factum eſt pro

pro *ſarcocele*, ſicuti eiusmodi exemplum prodigioſum in actis Acad. Scient. Pariſ. A. 1711 indicatur, quod 60 libras pependit in homine malabaro in India viſum, et Pariſios transſcriptum; quod vero deinde etiam DIONISIVS, Chirurgus Gallus celebris, altera et hanc ſequentibus editionibus operationum chirurgicarum, ubi de ſarcocele agit, retulit, et in *icone* hunc caſum ſimul delineatum exhibuit. Alium valde magnum ultra genua dependentem ETTMVLLERVS, filius 1723 in Programmate quodam, quod Lipſiae edidit, delineavit, etiamque rurſus WALTHERVS in Act. Erud. Lipſ. 1725. p. 492 deſcripſit, cui pondus quadraginta librarum; et CHESELDENVS, Anglus in Anatomia ſua edit. III quoque eiusmodi exhibuit p. 285. Quae vero num verae ſarcocelae ſive teſticuli ſcirrhoſi fuerint D. PRAESIS dubitat, ſed *pro ſcroti peculiaribus morbis* habet: cumprimis quia pleraque aut nullum horum malorum vel in vivis, vel in mortuis, WALTHERIANO excepto, inciſum, et eorum natura rite explorata eſt.

§. XXXVII.

Ita etiam varii et cumprimis quoque *Dionis* loco citato, ſarcoceles *non pro ſcirrhis teſticulorum* habere, ſed *pro excreſcentiis* ex teſticulis, quae inaequales eſſent, et ex inaequalitate ac duritie has cognoſci, atque a ceteris herniis diſtingui vult; cum tamen teſticuli ſcirrhoſi longe frequentiores ſint excreſcentiis e teſticulis: et deinde etiam ſarcocelae pleraeque non gibboſae, ſed vel rotundae vel ovatae et aequales ſint, ſicuti ex figuris noſtris et ex ipſis eiusmodi exſectis teſticulis videri poteſt. Nihil etiam plus hic de *abſona illa curatione ſarcoceles Dionis dicam*, qui ſcrotum potius *cauſticis* aperiri vult, quam ſcalpello; cum tamen ſarcocele vix et nonniſi centuplo maioribus doloribus cauſticis e ſcroto tolli poſſit, quam ſcalpellum facit.

EXPLICATIO TABVLAE AENEAE.

Fig. I. eſt teſticulus ſcirrhoſus et exulceratus §. XXIII. deſcriptus, in quo pars eius ſuperior et anterior A B C D praecipue exulcerata erat. E F funiculus ſeminalis tumidus ac diſſectus, in quo vaſa ſpermatica conſpiciebantur aperta. G H I pars eius inferior magis integra.

Fig. II. Teſticulus ſcirrhoſus maior exciſus §. XXV ad XXVIII expoſitus, transverſim hic poſitus. B C D E indicant tunicam eius celluloſam, qua adhuc maximam partem cinctus eſt; a a a a a a tunicam eius propriam ſive albugineam. A A inciſionem ſtudio factam, ad interiorem teſticuli hulus ſubſtantiam vaſculoſam explorandam.

Fig. III. Teſticulus ille ſcirrhoſus, §. XXIX deſcriptus transverſim quoque ſitus. A B C teſticulus ipſe nudus alba tunica ſolum cinctus. D E F involucra exteriora ei adhuc adhaerentia.

Fig. IV. Teſticulum ſcirrhoſum maximum inter hos repraeſentat §. XXXII explanatus. A B C D Corpus et figura eius fere ſphaerica. F E Funiculus ſpermaticus, cum vaſis ſuis conſpicuis.

Vitia typographica, quae ob temporis ſatis anguſtum ſpatium oculum ſubterfugerunt.

Pag. 4. lin. 6. pro atque, lege *ubi*. p. 7. l. 4. pro χέλη, lege *κήλη*. p. 10. l. 5. pro eoque, lege *idque*. p. 11. l. 6. pro durior, lege *maior*. p. 12. l. ult. pro quae, lege *qui*. p. 13. l. 1. pro apta, lege *apti*. p. ead. l. 10. poſt adhibita, adde *ſuppreſſa ortum ducit*. p. 14. l. 3. pro quam, lege *quem*. p. 15. l. 17. pro dolores, lege *doloris*. p. 18. l. 9. pro variam ſubnedam, lege *varias ſubnectam*. p. 19. l. 16. pro eſſet, lege *erat*. p. 25. l. 25. pro aliasque, lege *aliaque*. p. ead. l. 27 poſt indicari, adde *adportari iuſſerat*. p. 26. l. 14. *ſive deleatur*.

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQVE

HONORVM DOCTORALIVM IN MEDICINA CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Qui in Arte Medica multa praestare atque aliquando excellere cupiunt, recte faciunt, si in omnibus eius partibus se probe exerceant, nec in unica tantum vel altera acquiescant. TV, CANDIDATE *praestantissime, a prima iuventute, et teneris, ut aiunt, unguiculis apud honoratissimum Parentem* TVVM, *virum, ut mihi probe notum est, in arte pharmaceutica et chemica exercitatissimum atque experientissimum, et Parmacopoeum in vicina nobis urbe praestantissimum, in cognoscendis remediis et simplicibus et compositis, iisque etiam rite conficiendis et praeparandis sedulam operam posuisti. Deinde vero per biennium Brunsuigae haec sedulo continuasti, hisque etiam studium anatomicum et chirurgicum, quod ibidem nunc egregie colitur, superaddidisti. Atque hisce fundamentis iam extra Academiam iactis, huc ad nostram Academiam bene praeparatus venisti, atque praeter me, ubi hospitium* TVVM TIBI *selegisti, et ceteros huius Academiae Doctores et Professores in theoreticis et practicis partibus per biennium fere frequentasti. Postea ut* TE *in omnibus his Medicinae partibus uberius perficeres, Halam Saxonum petiisti, ibidemque et Professores celeberrimos audivisti. Deinde ut et in rebus anatomicis, medicis et chirurgicis faciendis* TE *semper magis magisque exerceres, Berolinum profectus es, atque autumnum et hyemem ultimam hanc ob causam ibidem transegisti, ut maiores semper Medicinae et Chirurgiae thesauros colligeres, atque ad Medicinam tanto melius exercendam* TE *semper aptiorem redderes.*

F *His*

His itaque fundamentis et adminiculis instructus tandem hoc vere ad nos rediisti, atque, ut honores doctorales in Medicina TIBI *a Collegio nostro conferantur, modeste petiisti et argumentum de difficili morbo, pro specimine inaugurali e chirurgia, quam semper valde amasti, elaborando* TIBI *sumsisti, et me* PRAESIDEM *actus disputatorii esse desiderasti. Qua igitur in re* TIBI *deesse nolui, sed potius, dum bene illud absoluisti, spero* TE *scientia* TVA *etiam multis aegris profuturum esse. Quapropter de honoribus hodie* TIBI *conferendis gratulor, atque, ut curationes* TIBI *feliciter succedant, ex animo gratulor. Dab. in Academia Iulia Carolina d. XV. Iunii MDCCLIIII.*

Adscendes Cathedram summosque capessis honores,
Ad quos eveheris Vir optime inter amicos!
Per magnas animi dotes. O tempora fausta,
In quibus ille amor vehemensque amicitia nostra
Obtigit inter nos! quam nunquam temporis aetas
Delebit corde. Aerumna potius cumularer
Ingenti, postquam TE nunc dimittere cogor
E gremio. Ast animum nunc gaudia maxima complent,
Qui TE in Doctorem tanta cum nobilitate
Promotum video. De quo nunc pectore toto
Gratulor insigni splendore et gloria summa.
Faxit supremum numen, TV ut secula multa
Vivas, florescas, utque omni genere laudis
Sis dives, nec sint unquam conamina frustra,
Quae TV suscipis. Haec optantem semper amabis.

Paucis hisce
Nobilissimo atque Doctissimo Domino DOCTORANDO, *Amico suo suavissimo affectum suum testaturus scripsit*

B. HOEPCKE
Hadelensis, M. C.

MONSIEVR

Je ne ſouhaiterois plus que de Vous pouvoir ſeulement donner une digne explication de l' eſtime, que j'ai pour Vôtre perſonne et pour Vôtre merite. Mais en connoiſſant mon impuiſſance, je me contenterai ſeulement de ce, à qui mon devoir m' oblige à ce tems, comme Vous êtes ſûr le point, àprès avoir fini glorieuſement Vos etudes d' etre elevé à des honneurs conformes au Docteur. Le premier moment, qui me Vous preſentoit, me tiroit au vif Vôtre ſincerité et conſtance, et en ayant àpres le bonheur de me flatter de Vôtre amitié, chacune converſation et chaque jour me donnoit des preuves de la ſublimité de Vôtre Eſprit et d' une habilité aeſtimable, et que Vous ne cherchiez d' exaggerer Vos merites par une gloire vaine, mais par Vos actions. Le peu de tems, que le Ciel m' a accordé de profiter de Vôtre converſation agreable, me faiſoit connôitre ſuffiſamment le ſoin infatigable, par le quel Vous Vous êtes acquis une connoiſance univerſel du circuit de nôtre art, et qu' il n' y a rien au reſte dans, nôtre art ſalutaire, que Vous n' ayez exploré. C' eſt pourquoi Vous pretendez avec raiſon le laurier. L' abondance de Vos nobles qualités me donne aſſéz de matiere d' en dire plus, mais a quoi ſerviroit cela? Chacun, qui Vous connoit, en eſt un temoin irreprochable. Je ſouhaiterois de tout mon coeur la continua-

tion de nôtre entretien familier, et j' aurois raison de me plaindre de Vôtre perte, neanmoins je suis ravi du succes heureux de Vos entreprises. Suivés donc le chemin, sur qui l'on trouve des fruits les plus parfaits. Hatés Vous enfin d' accomplir les Voeux des Vos Parens et de Vôtre Patrie qui soupire après Vous. DIEV le tout puissant veuille prosperer Vos entreprises! qu' il Vous donne des efforts pour le contentement universel. Ces sont les voeux, qui prennent leur source d' un coeur sincere. Continuez au reste d' aimer celui, qui est et sera pendant toute sa vie avec Estime

MONSIEVR

Elmstaedt ce XV. Juin
l'an de N. S. MDCCLIV.

Vôtre très-hûmble et tresobeissant
Serviteur
G. F. CAPPEL
Etud. en Med. d' Aix la Chapelle.

Freund, Den Hygäa jetzt mit ihrem Lorbeer kräntzet
Da Deines Fleisses Frucht um Deine Scheitel glänzet;
So höre hier geneigt, was meine Muse spielt,
Die durch den Mund verräth, was sie in Busen fühlt:
Zeuch hin mit diesem Lohn, den Dir Dein Fleiß gewähret,
Mit Aesculapens Krafft sey Deine Kunst vermehret,
Der Seuchen blasses Heer, des Todes Mord-gesellen
Soll, scheu vor Deinen Crantz von Dir zurücke prellen
So wird mein Wunsch erfült, so seh ich Dich beglückt,
Ob uns des Schicksals Macht gleich von ein ander rückt.

Mit diesem wolte dem Herrn Doctoranden
Glück wünschen
J. A. Dettmer
der A. G. Befl., Opp.

✡ ✡ ✡ ✡

Fig. II.



Fig. III.





Fig. IV.



Fig. I.



